



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XLIX. Vtrum actus contrarij spei sint compossibiles cum fide?


[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

fitum est quæst. 12. de act. hum. art. 7. & ad 2. & alibi non semel.

Ad 2. Quod certò, ac euidenter prænotatur prouenturum, idque independenter à cooperatione nostra, & libera, & difficili, ac ardua, quales sunt fructus arboris iam ad illos disposita totaliter, non speratur liberè libertate saltem contrarietatis. Quia in hoc casu nihil est, quod impellat ad insperationem. Alia ratio est de iis, quæ certò quidem, sed obscure, & dependenter à nostra cooperatione non solum utcunque libera, sed difficili insuper, ac ardua, prænotantur prouentura. Hæc enim sperantur liberè libertate, & contradictionis, & contrarietatis, ut apparebit ex quæstione sequenti.

Ad 3. Deus promittit nobis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; id est maiora iis, quæ ratione naturali cogitari à nobis possunt, eaque est paratus conferre, nisi impediantur peccatis nostris. Promittit præterea similiter gratiam sufficientem ad delenda qualiacunque, & quantacunque peccata. Fieri igitur non potest absque iniuria, & contemptu Dei promittentis, & absque mortificatione, & prosecutione inordinata alicuius bonitatis creatæ, ut quis, vel speret aliquid ultra ea quæ promittuntur à Deo, vel desperet de promissis à Deo. Sufficit autem ad actum absolutè vitandum quolibet admixtio mali, atque arbor bona, si ei subinferatur arbor mala, potest malos fructus facere, si quidem nomine arboris bonæ, & malæ intelligatur obiectum quoque de se bonum, & malum.

Ad 4. De præcepto spei lato sæpe à Deo satis liquet ex dictis superius ab art. 2. exque aliis scripturæ locis. Rationem, ob quam non exprimitur in Decalogo, sed ad eum præsupponitur, tradit D. Thomas q. 22. art. 1. similem illi, quæ supra exposita est circa infidelitatem. Nempe ante promulgationem legis quoad substantiam ipsius oportet præsupponere, tanquam præambulum, & fundamentum eius; tum subiectionem subditorum ad legislatorem, & recognitionem iudiciariæ potestatis in ipso, quod fit per fidem; tum dispositionem, & vigorem animi in eisdem subditis ad exhibenda opera conformia legi, quod fit per spem præmiorum, & felicitatis, si intentioni legislatoris satis fiat. Oportuit igitur, ut obligatio spei in Deo reponenda non induceretur in Decalogo, qui continet substantiam legis modo præceptiuo, sed ad eum præmitteretur per promissiones præmiorum, ac donorum, in quibus promissionibus implicite, ac virtualiter continentur comminationes penarum. Cæterum stabilitæ semel hoc modo substantia legis, multipliciter deinde firmatum, est eius fundamentum, obligando pluries ad spem modo etiam præceptiuo, ut liquet ex locis scripturæ iam præindicatis ex parte, ac facile obuiis.



QVÆSTIO XLIX.

Utrum actus contrarij spei sint composibiles cum fide.

 IDENTUR esse impossibiles. 1. Quia qui præfert magnitudinem suorum peccatorum magnitudini diuinæ potentie, ac misericordie, eo ipso negat infinitatem simpliciter potentie, ac misericordie Dei, adeoque est infidelis. Qui autem desperat de remissione suorum peccatorum, præfert magnitudinem eorum magnitudini potentie, & misericordie Dei. Ergo qui ita desperat, eo ipso est infidelis. Eadem verò proportionalis ratio est, ut patet

consideranti, de quibuscumque aliis actibus oppositis spei. 2. Fuga, seu auersio, ac desertio æternorum bonorum opposita eorum desiderio est impossibilis cum quolibet eorumdem assensu. Ergo actus oppositi spei æternorum bonorum sunt similiter inconpossibiles cum assensu fidei circa eadem. Patet antecedens, quia fuga oritur ex opinione mali in obiecto, ac proinde est impossibilis cum opinione, & assensu bonitatis in eodem. Patet item consequentia, quia spes solum superaddit simplici desiderio firmitatem, ac certitudinem aduersus difficultates. Manifestum autem est, causam firmitatis eius, ac certitudinis esse fidem.

3. Quod in intellectu est verum, & falsum, hoc est in voluntate bonum, & malum; sicut quod in intellectu est affirmatio, & negatio, hoc est in voluntate prosequutio, & fuga, ut dicitur lib. 6. Ethic. cap. 2. Unde voluntas bona est conformis intellectui vero, & mala falso, ut indidem assumit D. Thom. q. 20. art. 1. Dictum autem est, actus oppositos spei esse malos, sicut actus ipsius spei sunt boni. Ergo sicut actus ipsius spei sunt conformes fidei de origine, & possibilitate latius, & gratiæ, ac remissionis peccatorum ex Deo, atque ab ea fide essentialiter dependent: ita necesse est, ut actus oppositi spei sint conformes contrariæ existimationi circa eadem obiecta, utque ab eadem existimatione, quam patet esse impossibilem cum fide, essentialiter dependant.

4. Corrupta æstimatione circa aliquod particulare, necessariò corrumpitur æstimatione circa vniuersale, sub quo continetur illud particulare. Nec enim fieri potest, ut quis iudicet ex. gr. possibilem esse omnibus peccatoribus reparationem post lapsum, ex gratia Dei, atque hanc gratiam iisdem omnibus sufficienter adesse, quantum est ex parte Dei, quæ est vniuersalis æstimatione recta fidei, simulque iudicet, eandem nihilominus reparationem esse impossibilem sibi hic, & nunc, atque deesse gratiam eatenus sufficientem, quæ est æstimatione particularis corrupta, & falsa. Fieri namque non potest, ut quis simul assentiatur contrariis propositionibus. Qui autem elicit actum contrarium spei, ex. gr. actum desperationis circa remissionem suorum peccatorum, habet eatenus æstimationem particularem corruptam, quod hic, & nunc sit impossibile sibi consequi remissionem suorum peccatorum, ut tradit D. Thom. eadem q. 20. art. 2. & plerique alij ibidem. Habet igitur eo ipso corruptam æstimationem etiam vniuersalem circa idem punctum, ac proinde est eo ipso infidelis, utpote habens sensum contrarium veritati fidei.

5. Necessariò amittitur fides amisso motu pietatis affectionis, per quem imperatur, ac inducitur, & conseruatur ipsa fides. Eiusmodi autem motus amittitur amissa spe per actum ipsi contrarium. Quia motus pietatis affectionis, omnisque actus ordinatus ad salutem vitæ æternæ nititur spe futurorum bonorum, ipsiusque ultimi finis supernaturalis. Nempe sublata spe finis, nullus superest locus exhibitioni, & ordinationi mediorum ad finem. Quia nemo desperans de fine operatur, ut dicit Philos. lib. 2. Rhet. c. 11. Necesse igitur est, ut amissa spe per actum ipsi contrarium, amittatur quoque fides, eique succedat infidelitas.

Att. 1. Respondetur. Voluntas est indifferens ad vtrumlibet eorum, quæ sibi proponuntur tanquam inuicem impossibilia, simulque tanquam excedens, & excessum mutuo quoad aliquid; retinetque eam libertatem indifferentiæ in sensu composito eorum omnium, cum quibus est composibilis cuiusmodi propositio duorum talium extremorum, ut liquet ex dictis qu. 12. & 13. de act. hum. Occurrunt autem, & proponuntur sæpe voluntati, in sensu composito fidei, motuum sperandi, & motuum oppositorum cum excessu.

excessu, & praeminentia mutua quoad aliquid. Quia ipsa in primis fides proponit potentiam, & bonitatem Dei promittentem bona aeterna, quatenus praeminentia absolute omnibus aliis bonis secum incompossibilibus. Vnde mouetur voluntas ad sperandum illa. Proponit vero simul ex altera parte ratio naturalis plura bona temporalia, seu delectabilia, seu utilia, tum impossibilia cum prosecutione, & consequitione aeternorum, tum praeminentia eisdem quoad aliquid, nempe quoad vim praesentaneam proficiendi corpori, aut delectandi sensum, & quoad facilitatem eadem protinus habendi. Adesse itaque possunt simultaneae motuum sperandi propositum per fidem, & motuum contrarium propositum per rationem naturalem cum excessu mutuo quoad aliquid. Igitur in sensu composito fidei adesse potest in voluntate potestas proxima indifferens ad actus spei, & ad actus oppositos, possuntque componi absolute cum eadem fide utrilibet actus.

Art. 2. Confirmatur, & declaratur exemplo. Quia cum dicimus rationis naturalis sufficientis ad spem victoriae difficulter reportandae ex hoste componi potest desperatio de eadem, atque in conspectu eiusdem hostis, & in iisdem omnibus circumstantiis alij milites despondent animo, & fugiunt desperantes de victoria, alij retinent firmam eiusdem victoriae spem, & pugnant strenue. Idem igitur contingere similiter potest in militia spirituali, quae inquit dependenter a fide. Ut nimirum alij permaneant in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Euangelij, ut dicitur ad Coloss. 1. 2. 3. atque indui loriceam fidei, & charitatis, & galeam, & spem salutis, ut dicitur 1. ad Thessal. 5. 8. Alij vero destituti spe circa ea, quae sibi proponuntur per fidem succumbant difficultatibus, quas illi priores superant per spem iuxta illud Prouerb. 24. 10. Si desperaueris lassus in die angustiae, imminuetur fortitudo tua.

Art. 3. Confirmatur rursus, & declaratur intimius. Quia obiectum spei theologiae, licet moraliter sit adaequatum bonum, coalescit tamen physice ex bono, & malo. Motuum namque eius, consideratum secundum se praecise, est bonum omnino purum, quandoquidem est indistinctum a potentia, & bonitate Dei; quatenus promittente nobis omnia bona spiritualia praesentis vitae, & futurae. At eadem motiuo, prout relatio ad obiectum suum materiale inest aliquod malum physicum, nempe absentia, difficultas, ac arduitas bonorum, quae promittuntur. Quia spes fertur ad bonum speratum, ut absens, & arduum. Absentia autem boni est mala, multo vero magis difficultas, & arduitas ipsum consequendi. Habet igitur obiectum adequatum spei, tum unde allicit voluntatem ad prosecutionem sui per adhaesionem, & affectum proprium ipsius spei, tum unde retrahat ab eadem prosecutione per diuersionem affectus ad bona opposita conditionis, nempe praesentia, & facilia, vel non usque adeo, aut distantia, aut difficilia. Allicit enim ratione bonitatis, & repellit ratione, tum absentiae, tum arduitatis.

Art. 4. Quoties autem occurrunt obiecta in hunc modum inuicem opposita, voluntas determinatur per electionem suam liberam ad alterutram eorum secundum rationem praeminentiae, quae apparet ex parte ipsius supra alterum. Eligens enim praefert extremum electum reiecto. Quod fieri non potest, nisi extremum electum proponatur tanquam praefertibile, atque ideo tanquam praeminentius secundum aliquam rationem. Cum igitur, in sensu composito fidei, proponantur per ipsam fidem bona aeterna tanquam absolute praeminentia propter magnitudinem, & indefectibilem aeternitatem ipsorum, simulque proponantur per rationem naturalem bona temporalia op-

posita, tanquam praeminentia quoad aliquid propter facilitatem, & praesentaneam fruibilitatem ipsorum concluditur, in sensu composito fidei, voluntatem esse absolute liberam, & indifferentem ad electionem utriuslibet ex eiusmodi extremis altero directe, ac totaliter reiecto.

Art. 5. Eadem itaque ratione, qua sunt impossibilia cum fide informi qualibet alia peccata praeter infidelitatem, sunt etiam impossibiles cum eadem actus peccaminosi directe oppositi spei. Quia fides semper proponit peccatori fidei bona aeterna absolute praeponderantia, quatenus impossibilia cum prosecutione boni temporalis, quo alliciente peccatur. Et nihilominus committuntur peccata, quia simul proponit ratio naturalis bonum aliquod temporale, quatenus praeponderans quoad aliquid, nempe quoad facilitatem, aut praesentaneitatem. Ostensum autem est, idem similiter accidere posse respectu motui spei, & bonorum sperabilium. Actus igitur oppositi spei dari possunt in sensu composito fidei perinde, atque alia peccata.

Art. 6. Hoc tamen vnum intercedit discrimen, ratione cuius est difficilior compositio, & redditur difficilior assensus compossibilitatis fidei cum insperatione, quam cum aliis plerisque peccatis. Quod mirum per actus oppositos spei, intentio peccatoris sperat ipsum a Deo permanentius, & quodammodo irredubiter, atque separatione vniuersali, tum quoad durationem, tum quoad omne genus obsequij pure affectiui. Per alia vero minora peccata recedit a Deo intentio peccatoris tantum ad tempus, atque in aliqua solum determinata materia. Vnde insperatio, & alia minora peccata comparantur inter Deum, & hominem ad eum fere modum, quo diuortium in perpetuum, & rursus inter coniugatos, ut perspicere facile potest ex dictis circa naturam insperationis, eiusque discrimen formale a reliquis peccatis. Est igitur inaequalis difficile, minusque credibile, quod quis in sensu composito fidei, idest initij familiaritatis cum Deo, & adhaesionis ad Deum, componat intentionem usque adeo vniuersalem recedendi totaliter a Deo, ut recedit per insperationem; quam quod componat cum eadem fide voluntatem recedendi a Deo tantum ad tempus, & tantum quoad aliquid specialiter alliciens hic, & nunc. Ceterum utrumque est absolute possibile. Quia dantur motiua temporalia allicientia ad utrumque cum excessu utrobique secundum quid supra bona aeterna, ac infinita, licet non aequali utrobique, uti expositum est, ut apparebit distinctius ex dicendis quaest. sequenti.

Ad 1. Necesse quidem est, ut qui desperat de remissione suorum peccatorum propter magnitudinem eorum, praeferat practice, & affectiue eam magnitudinem magnitudini misericordiae diuinae, utque se gerat quoad affectum perinde, atque si crederet maiorem esse magnitudinem suorum peccatorum, quam magnitudinem misericordiae Dei, neque illa per efficaciam huius superari, ac aboliri posse. Ceterum necesse nequaquam est, ut hoc ipsum explicite, & formaliter credat. Sufficit enim, ut adsit cognitio representans magnitudinem peccatorum simul cum magnitudine difficultate deletionis, ac remissionis eorum, atque praescindens a magnitudine potentiae, & misericordiae Dei, necnon auxiliorum, quibus ipse subuenit peccatori, ut conuertatur, & viuatur. Quia cognitio representans aliquid ex parte obiecti cum praecisione ab aliis, quae illi insunt intrinsece in contrarium, perinde fere afficit, ac mouet voluntatem, atque si haec alia negarentur. Quae enim dantur re ipsa a parte rei, perinde non possunt exercere actualiter vim perueniendi voluntatem, atque impediendi aliquem eius actum, siue negentur, siue ab eis praescindantur.

tur. Quia utriusque modo æque latent actualiter. Quæ autem latent, utique lateant, nihil eatenus mouent. Manifestum porro est, impossibile esse cum fide cognitionem naturalem rationis inferioris, quæ motuum temporale oppositum spei præcindatur ab iis circumstantiis, & prædicatis, quæ manifestantur per ipsam fidem. Est igitur impossibile cum fide postpositio illa prædictæ, & affectiua magnitudinis potentia, & misericordiae Dei respectu magnitudinis peccatorum.

Ad 2. Inducitur iam supra discrimen obiecti spei ab obiecto desiderij. Nempe obiectum spei ex suo conceptu habet malum aliquod adiunctum bono sperabili, & mouenti ad sperandum. Rationem scilicet difficultatis, ac arduis, ob quam potest voluntas remoueri à prosecutione ipsius boni, tamen agnoscat possibile. At desiderium ex sua præcise ratione fertur ad bonum absens, secundum solam rationem bonitatis eius. Unde representata illius bonitate nihil superest, quod per se retrahat voluntatem, quo minus desideret. Non igitur subsistit, quod dicitur, spem à desiderio differre sola certitudine, quæ præit ex parte fidei.

Ad 3. Quod assumitur, actum malum voluntatis conformem actui falso intellectus, dicitur quidem cum fundamento haud exiguo in Philosopho, & D. Thoma. Vtrique enim est frequens eiusmodi loquutio, maxime verò D. Thom. Non tamen ita accipiendum id videtur, quasi necessarium præcise sit, ut actui voluntatis formaliter malo præluceat actus intellectus formaliter falsus. Sed, ita, ut necessariò præeat actus æquiualeuter falsus, propter præcisionem, & quasi dissimulationem decepticem expositam nuper in responsione ad 1. Ratione namque eiusmodi præcisionis, ac dissimulationis caret necessariò cognitio directiua, ac inductiua actus peccaminosi plenitudine vestitis impeditur peccatum, si adesset in intellectu, & inducit actum voluntatis eiusdem prorsus rationis quoad suam entitatem materiale, cum eo actu, qui esset conformis cognitioni formaliter falsæ neganti, & non solum dissimulanti inesse malitiam, ac inhonestatem moralem bono temporali, seu vtili, seu delectabili. Inquam, quoad suam entitatem materiale. Quia cum præit actus intellectus formaliter falsus, quatenus negat inesse obiecto vtili, aut delectabili malitiam, ac inhonestatem moralem, actus subsequens voluntatis illi conformis materialiter solum quoad malum, neque est secundum se seorsum vituperabilis, aut specialiter imputabilis ad culpam, ut dictum est q. 24. de act. hum. Actus verò voluntatis subsequens ad cognitionem naturalem præcisiuam modo dicto, & coexistentem cognitioni supernaturali manifestanti malitiam moralem est vituperabilis, ac imputabilis specialiter secundum se præcise, ut inibi dictum est. Falsum itaque est, ad actus peccaminosos oppositos spei, præquiri actum infidelitatis oppositum fidei, sicut ad actum spei præquiritur actus fidei. Quia cum bonitas actus spei consistat in positio, præsupponit necessariò positiuam eatenus bonitatem, ac perfectionem in cognitione directiua ipsius. Malitia verò insperationis consistit in priuatione, cui inducendæ perinde sufficit præcisio modo dicto defectuosa, atque falsitas positiuæ, ut dictum, ac expositum est.

Art. 1. Ad 4. Eo quisque modo se decipit practice, ac inducit in opus malum, quo inducit in idem, ac decipit alios per verba exteriora. Nemo autem alios præsentos iam documentis vniuersalibus fidei decipit, ac inducit in opus malum, nullumque esse peccatum furari, aut occidere hic, & nunc. Quod non clarè contradicit fidei, ideoque persuaderi minime

potest homini fideli. Decipit igitur, ac inducit, quisque hoc facit, ponderando solum vtilitatem, & delectationem consequentem ad opus, quod est facinorosum, & magnificando omnia prædicata, omnesque circumstantias, quibus utraque ea ratio bonitatis, aut altera reddi potest illustrior, magisque prouocatiua appetitus, nihil interim significando de malitia morali, & de iactura vitæ æternæ, quod est intenta ratio superior sub conceptu vniuersali, vel etiam in particulari. Hoc igitur eodem modo se quisque decipit dum peccat, siue contra spem, siue contra virtutem aliam quamlibet. Nempe quoad hoc punctum nihil interuenit speciale in peccato contra spem.

Art. 2. Tota itaque corruptio, totiusque defectus dictaminis, quo pugnat, & subuertit ratio inferior, consistit in ea expressione commodi temporalis coniuncta cum præcisione, ac dissimulatione mali spiritualis, ac æterni. Quod quidem est proculdubio conforme doctrinæ circa hanc rem vniuersali Philosophi lib. 7. Ethic. c. 2. & 3. quæ cupio legantur attentè. Nec aliud, credo intelligere, aut intendere potuit D. Thom. q. illa 20. art. 2. & alibi sæpe, licet alij eum exponant in sensu, quem impugnatur obiectio. Impugnatur verò, nisi omnino fallar, demonstratiuè. Verum error confundens præcisionem cum negatione eorum, à quibus præcinditur, quanquam est crassus, irreptum tamen non paucis, nec raro, & nonnunquam cum magna, valdeque nocua peruersione doctrinæ, ut videre licet inter alia q. 89. de Sacramento.

Art. 3. Quidquid sit de hoc puncto, manifestum est præmissam rationis inferioris præcisionem, utique defectuosam, esse impossibilem cum fide, cumque recta eius estimatione, & vniuersali, & particulari. Quapropter obiectio concedendum est totum, solaque neganda est suppositio, quod corruptio estimationis particularis requisita ad desperandum, aut aliter peccandum consistat in cognitione positiuè falsa, & non in sola dolosa, ac captiosa præcisione, qualis exposita nuper est. Exposita verò est semel, atque iterum propter tenacitatem nonnullorum ad doctrinam contrariam, quæ mihi plurimum displicet, feroque dolenter, quod placeat aliis.

Ad 5. Motus piæ affectionis imperans actum fidei est inchoatio quædam spei, & fertur sub conceptu confuso ad eadem dona, quæ distinctè, & certò proposita per fidem amplectitur deinde ipsa spes vti expositum est supra in loco. Non autem repugnat idem obiectum ab eodem esse volitum sub conceptu confuso, simulque nolitum sub conceptu distincto, ut patet in beatitudine volita necessariò ab omnibus sub hoc conceptu vniuersali, simulque reiecta ab omnibus peccatoribus sub conceptu distincto eius boni, in quo reipsa consistit beatitudo.

QVÆSTIO L.

Vtrum absque spe dari possit opus aliquod salutare?

VIDETUR dari posse 1. Quia in questione præcedenti dictum est, amissa spe, retineri nihilominus, atque exerceri posse fidem. Fides autem est principium sufficiens omnium, & quorumlibet operum salutarium. Quia proponit, prout oportet, motiua sufficientia ad illa omnia, & qualibet. Ergo amissa spe possunt nihilominus fieri opera qualibet salutaria.

2. Fides se sola potest inducere actum spei absque consortio, & cooperatione cuiusquam alterius virtutis.